



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

132. Si non sociati conjugio fornicati fuerint.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Ne furiosi matrimonio jungantur.

*Ex Lege Romana.*

CXXIX. Neque furiosus neque furiosa  
matrimonium contrahere possunt. sed si con-  
tractum fuerit, non separetur.

Paul. lib. 2.  
Sent. tit. 19.  
Burchard. lib.  
9. c. 30.

Si qui matrimonia sani junxerunt.

*Ex eodem.*

CXXX. Si qui matrimonium sani contra-  
xerunt, & uni ex duobus amentia aut furor aut  
aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmi-  
tatem conjugia talium solvi non possunt. Si-  
militer sentiendum de his qui ab adversariis  
cœcantur, aut membris detruncantur.

Burchard. lib.  
9. c. 28.

Si cujus uxor adulterium perpetraverit. *Ex*

*Concilio Nannetensi, cap. XXI.*

CXXXI. Si cujus uxor adulterium per-  
petraverit, & hoc à viro deprehensum fuerit  
& publicatum, dimittat uxorem, si voluerit,  
propter fornicationem; illa verò septem annis  
publicè pœniteat. Vir verò ejus, illa vivente,  
nullatenus aliam accipiat. Quòd si voluerit  
adulteram sibi reconciliari, licentiam habeat;  
ita tamen ut pariter cum illa pœnitentiam  
agat; & exacta pœnitentia, post septem an-  
nos ad communionem uterque accedat. Simi-  
lis forma & in muliere servabitur, si eam vir  
ejus adulteravit.

Concil. Nan-  
net. c. 12.

Si non sociati conjugio fornicati fuerint.

*Ex eodem, cap. XXII.*

CXXXII. Si qua mulier non habens vi-

Concil. Nan-  
net. c. 13.



262 REGINONIS LIB. II.  
rum aut vir non habens uxorem fuerint fornicati, tribus annis pœniteant.

Quid si unus absolutus & alter copulatus adulterati fuerint. *Ex eodem.*

Concil. Nannet. c. 14.  
Burchard. lib. 9. c. 70.

CXXXIII. Quod si vir non habens uxorem cum alterius uxore adulteraverit, aut si qua mulier non habens virum cum alterius viro, ille qui fœdus violavit conjugij, septem annis, ut supra dictum est, pœniteat; ille qui lege conjugij non tenetur, quinque annis pœniteat. Neque enim æqualis pœnitentia danda est his quibus sufficere poterat ad explendam libidinem suam conjugij amplexus, & illis qui conjuges carentes, ardore libidinis impellente in fornicationem ceciderunt.

De eadem re. *Ex Pœnitentiâ.*

CXXXIV. Si quis vacans uxore, pollut se cum alterius uxore, annis duobus pœniteat. Similiter de feminis observandum.

Si uxoratus ancillam propriam tenuerit.

CXXXV. Si uxoratus ancillam propriam tenuerit, annum unum pœniteat, vel in alio anno tres quadragesimas & legitimas ferias, & tribus mensibus prius se à sua contineat conjugis. Ancilla verò, si vim passa est, quadraginta dies, si consentiens fuerit, tres in anno quadragesimas & legitimas ferias pœniteat.

